



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

STUDIUM ET CULTUS

BEATA MARIA V., « DE LA CABEZA » VULGO APPELLATA, PRAECIPUA APUD DEUM
PATRONA
UNA CUM S. EUPHRASIO, EP. ET CONF.,
UNIVERSAE DIOECESIS GIENNENSIS CONSTITUITUR

Ad perpetuam rei memoriam. — Studium et cultus Beatae Mariae Virgimis, quae « de la Cabeza » Hispanico appellatur sermone, a multo iam tempore animos tenent Illiturgitanorum atque fidelium in finitimis regionibus incolentium. Cui rei documento sunt religiosae pompae, quae ad montanum sacrarium, ubi pervetus eius imago asservatur, duci solent, piaae sodalitatel eidem peculiariter devotae, donaria fere innumerabilia eiusdem locata honori. Nec augusta Virgo, suppliciter exorata, deesse visa est filiis suis, munera superna ubertim dilargiendo. Huiusmodi ergo inductus pietatis ardore, Ioannes Iosephus Laguado Fenollera, Giennensis olim Episcopus, a Sancto Pio PP. X, Decessore Nostro, impetravit, ut Beata Maria Virgo, Regina Sanctorum Omnium et Mater Pulchrae Dilectionis, vulgo cc de la Cabeza » nuncupata, urbis Illiturgis caelestis renuntiaretur Patrona, addita facultate eius sollemne ultimo die Dominico mensis Aprilis quotannis celebrandi. Ad augendum vero honorem almae Deiparae, praeclara imagine ila expressae, Petrianae Basilicae Canonorum Collegium, eiusdem Antistitis sacrorum precibus obsecundans, concessit, ut, quod diximus, Mariale simulacrum aurea corona redimiretur. Huic vero imagini, quae, ut memoriae proditum est, anno MCCXXVII, Hispania in libertatem vindicata, inter praerupta montis, qui « la Cabeza » dicitur vulgo, reperta fuit, impie est fulgidum ablatum diadema, cum novissimum bellum civile in Hispania saeviret. Cuius in locum aliam coronam eamque pretiosiore fideles laudabili cum animorum alacritate substituere pararunt. Huiusmodi re permotus et feliciter augescentem populi pietatem erga Dei Genetricem, ade la Cabeza » appellatam, considerans, Venerabilis Frater Felix Romero Menjibar, Giennensis Episcopus, Nos rogavit, ut Beatam Mariam

Virginem, nomine eodem invocatam, una cum Sancto Euphrasio, Episcopo et Confessore, universae iurisdictionis suae praecipuam apud Deum Patronam faceremus. Nos autem, quibus nihil antiquius est quam ut Marialem religionem quoquoersus propagemus, vota huiusmodi libenti animo statuimus implere. Quae cum ita sint, Nos ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, « de la Cabeza » vulgo nuncupatam, principalem apud Deum Patronam una cum Sancto Euphrasio, Episcopo et Confessore, universae dioecesis Giennensis confirmamus seu constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis dioeceseon Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Novembris, anno MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri secundo.

D. Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis